

**Dissertatio medica inauguralis de melaena ... / [Harper Hall].**

**Contributors**

Hall, Harper.  
University of Edinburgh.

**Publication/Creation**

Edinburgi : Balfour et Smellie, 1782.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/n4xakzw2>

**License and attribution**


This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

27559/p



DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

D E

M E L Æ N A.



ДРІДИМ ОІТАТЯ ЗАЗІД

317695

D I S S E R T A T I O M E D I C A  
I N A U G U R A L I S,  
D E  
M E L Æ N A.

Q U A M,  
A N N U E N T E S U M M O N U M I N E ,  
Ex Au<sup>t</sup>oritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S. T.P.

A C A D E M I Æ E D I N B U R G E N Æ P rae fecti;

N E C N O N

A m p l i s s i m i S E N A T U S A C A D E M I C I c o n s e n s u ,  
E t n o b i l i s s i m a e F A C U L T A T I S M E D I C Æ d e c r e t o ,  
P R O G R A D U D O C T O R A T U S ,

S U M M I S Q U E I N M E D I C I N A H O N O R I B U S A C P R I V I L E G I I S  
R I T E E T L E G I T I M E C O N S E Q U E N D I S ;  
E r u d i t o r u m e x a m i n i s u b j i c i t

H A R P E R | H A L L ,  
D E I N S U L A B A R B A D A ,

S o c . P h y s . E d i n . P rae f . A n n u u s ;  
N e c n o n  
S o c . R e g . M e d . S o c i u s E x t r a o r d .

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

E D I N B U R G I :  
Apud B A L F O U R et S M E L L I E ,  
A c a d e m i a e T y p o g r a p h o s .

M,DCC,LXXXII.

317695



A circular library stamp. The word "LIBRARY" is printed in capital letters at the top. Around the bottom edge, the words "THE STATE LIBRARY" are printed in a smaller font.

87110

卷之三

— 10 —

Avunculo suo carissimo

GULIELMO CROYDON,

De Insula Barbada,

A R M I G E R O,

Non tam ob affinitatem,

Quam ob amorem ardenter,

Quo,

Patris quam avunculi similior,

Se semper fovit,

Hacce studiorum primitias

Grato animo

Consecrat

HARPER HALL.

ГУЛІЕЛМО ГРОДОН

Де літературні

СИДЕНИА

до відповіді

загальні згадки до цього

Digitized by the Internet Archive  
in 2018 with funding from  
Wellcome Library

Година

Світ

І МАН ЗНЯЧАН

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

D E

M E L Æ N A.

OFFICIA nec pauca nec levia quibus funguntur intestina, animalibus adeo sunt necessaria, ut nulli morbi quibus haec viscera sint obnoxia, summam attentionem non mereantur. Ex his, plurimis equidem, Melaenam breviter tractandam selegi; quae quamvis rara, non ideo est negligenda, quia nunquam periculi expers, immo plerumque exitialis evadit.

Melaena vel morbus niger apud antiquos significabat materiei nigrae seu ore sive anno evacuationem \*. De hac materie opiniones

A

niones

\* Cl. Sauvagesii Nosol. Method. Cl. IX. Ord. II.

niones admodum variae ac diversae extiterunt. Has autem nunc nec refellere nec confirmare in animo est, quippe qui eam internae haemorrhagiae signum solummodo fortuitum credam; quod quoque probare plenius fusiisque posthac sum conaturus. In praesentia, quum vocabulum nil finiat fontem profluvii, sub titulo Melaena, de omnibus haemorrhagiis e ventriculo, totoque intestinorum tractu, extremo recto excepto, paucis differere volo.

Ne quis hanc methodum rem tractandi criminetur, definitionem sequentem protuli.

### DEFINITIO MORBI.

Sanguinis vel cujusdam materiei, colore fusco seu nigerrimo, vomitus aut dejectio sine mariscarum signis.

### DIAGNOSIS.

## D I A G N O S I S.

Sanguinem e stomacho vomitus satis distinguet ab eo ex ore, narium fauciumve superficie, proveniente; hic enim non vomitu sed sputo vel screatu ejicitur.

Difficilius est dignoscere utrum melaena an haemoptysis adsit, si modum ejiciendi solum spectes, quia vomitus ac tussis sese invicem excitant\*. Hic igitur speciem sanguinis respiciamus oportet. E stomacho enim plerumque largus, subniger, coagulatus, magna que cum colluvione commixtus; e pulmone autem parcior, floridior, mucoque spumofo soli immixtus, invenitur. Adeo etiam signa praecedentia, quae omnia vel affectum pulmonis indicant, vel talia sunt qualia mox depingam.

Praeterea, de modo evacuandi reputantibus

\* Cullen's First Lines, parag. DCCCVIII.

bus reminiscendum semper est, si aeger epistaxi laboraverit, plurimum sanguinis enasco in stomachum descendere inter dormendum posse, qui mane sequente forsan evomitur aut dejicitur; sed in exemplis hujusmodi, attente observanti origo abunde patebit.

Sanguine deorsum dejecto, nullisque signis mariscarum conspectis, dolor ex alvi dejectione, aliaque signa topici affectus, cito manifestabunt utrum tumores intra rectum sint necne.

Dysenteriam, interdum notitia epidemi ci graffantis, saepius autem ac certius quantitas sanguinis pro ratione muci parca, tenesmus, torminarumque acerbior vis, eam ab aliis intestinorum haemorrhagiis distinguunt.

Denique, cum quibusdam placuerit nigram colluviem bilem esse, cui hic color interdum inditus; quod ad hanc quoque quedam diagnosis forsitan expectabitur; sed, uti opinionem ipsam evertere, postea, cum  
de

de causa proxima agetur, conabor, nil est  
cur nunc de ea plura verba faciam.

## HISTORIA MORBI.

Ventriculum ipsum aliquando praecipue laborare, plurima signa gravissima, quae morbum praecedere solent, clarissime comonstrant. Cibus parum desideratur vel prorsus fastiditur et minus apte concoquuntur; hinc flatus acidaeque eructationes, quas quoque alvus admodum adstricta comitantur \*.

Inde excipiunt dolor obtusus, onerisque in ventriculo sensus; quoddam cephalalgiae ac vertiginis; palpitationes subinde et nunquam non anxietas praecordiorum. Oesophagus interdum adeo constringitur ut deglutitio evadat difficillima †; spasmi dolorifici stomachum laceffunt ‡; singul-

tus

\* Home's Clinical Exper.

† Kempfii diff. inaug. in Haller. collect.

‡ Lieutaud prax. med. tom. i. Junckeri conspectus.

tus pertinax aegrotum urget, nausea, frequensque, praesertim post cibum captum, vomendi desiderium atque molimen.

Haec mala, quibus fors addere liceat do-lores in regione jecinoris lienisve, per tem-pus nunc diuturnum nunc brevius durant; paroxysmus frigidus demum efficitur; magna strictura in sinistro hypochondrio senti-tur; anxietas magis magisque instat; nau-sea fit molestior, aegerque evomit aliquod sanguinis nunc fluidi, saepius coagulati, cui color fuscus vel ex toto niger.

Post vomitum, eique invicem succedens, similiis rerum colluvies deorsum dejicitur, mirum in modum foetida, adeoque nigra ut picem liquidam vel atramentum referat. Eodem tempore miser torminibus cruciatur, et si quae faeces naturales conspectae, scy-balorum similes sunt \*.

Signa dyspepsiae, de quibus jam dictum, haemorrhagiam a vasis mesentericis saepe praecedunt, una cum torminibus magis mi-nusve

\* Home's Clinical Experiments.

nusve acerbis, quibus forsan ante id temporis, eundem aegrotum aggressis, haemorrhoides levamini fuit. Aliquot, praesertim mulieres plethora et dysmenorrhoea affectas, melaena valde subito invadit. His in exemplis, pyrexia multo fit gravior; pulsus durior ac contractior; dolor acutus calorique auctus parti affectae adsunt; et, prout morbus sedem in stomacho vel intestinis habet, major anxietas acrioresve dolores colici fluxum sanguinis antecedunt.

Quantitas sanguinis ejecti variis in exemplis varia. Libram duasve interdum adaequat, et signa periculosisimae debilitatis exhibet. Pulsus prorsus debilis, frequens, aliquatenus ordinis expers, evadit; summum frigus ac pallor superficie in extremaque occupant; in syncopen saepius inciditur; sudor frigidus, viscidus, per totum corpus prorumpit.

Primi impetus rarissime exitium afferunt, sed si morbus cito revertatur, ut fere fit, saepiusque recurrat, viribus systematis ex toto confectis, aeger tranquille inter syncop-

pen animam efflabit, vel miti delirio abripietur. Alias, vires aegroto adeo infractae, ut omnibus eum roborandi modis iterum iterumque frustra tentatis, in hydropicum affectum incidat, quo citius seriusve opprimatur.

Quibusdam in exemplis, indicia congestionis fluxu sanguinis adimuntur, et aeger ad pristinam sanitatem, natura duce, reddit; alias autem, in mulieribus praecipue, morbus statutis periodis impetum saepius redintegrat.

## CADAVERUM SECTIONES.

Iis quibus melaena exitio fuerit dissectis, pleraque viscera abdominalia, alia in aliis, morbida fuere comperta.

Jecur et lienem schirro affectos plurimumque auctos, lienem quoque mire mollem multi notarunt. In ventriculo etiam aeque

aeque ac in variis intestinorum partibus  
schirri similes observati \*.

Stomacho, totique intestinorum cursui,  
magnam copiam materiei sanguineae inesse,  
certiores sumus facti. In intestinis magnis,  
nigrior est quam alibi, odorque imprimis  
ingratus manibus adeo haeret, ut post lo-  
tiones pluribus vicibus repetitas ablui ae-  
gerrime possit.

Ventriculum flatu magnopere tumefac-  
tum; tunicasque ita teneras ut ne quidem  
tractari sine laceratione possent, quidam in-  
venere. Eum quoque gangraena aliquan-  
do correptum; exiguae maculae, in interna  
superficie conspectae, plane testantur †.

Venae stomachi nunc tument, nunc, et si  
rarius, in varices intumescunt; alias, pallor  
insignis jecinoris aliorumque viscerum,  
quanta haemorrhagia fuisset, plene pro-  
bat ‡.

B

Est

\* Lieutaud, Prax. Med. Tom. I.

† Ibid.

‡ Morgagni, Ep. xxxvi. Art. II.

Est ubi vas ruptum clare innotescat; saepissime autem, nec mirum, aciem oculi effugit \*.

## CAUSA PROXIMA.

Quum materies nigra effusa diversis de morbi natura opinionibus originem præbuerit, has considerare, et argumenta quibus quaeque innitatur, expendere, oportet.

Etsi plurima apud antiquos de atrabili, quam causam hujus multorumque aliorum morborum finxerunt, inveniuntur, de ea nil equidem dixisse, nisi ill. V. Swieten ad eam explicandam ac defendendam semet accinxisset †.

Illi auctori celeb. placuit, atram bilem, de qua antiqui verba faciunt, esse materiam  
in

\* Morgagni, Ep. xxxvi. Art. 12.

† Comm. Boerh. Aph. 1091.

in liene interdum collectam; exemplumque profert, ubi, cadavere dissecto, morbus hujusmodi a Doctore Simpson revera comper-tus, qui rem hisce verbis enarrat: “—Lie-“ nem, a figura teretem, a colore admo-“ dum atrum, a superficie undique laevem“ et splendentem, comperi: Adactoque in-“ tro scalpello, continuo obviam prodit“ sibilus; deinde materia simillima picis“ liquidae: Mox collapsa latera in perte-“ nuem abierunt pelliculam, nullo uspiam“ comparente puris vestigio \*.

V. Swieten, ut reddat rationem materiae transfeuntis in stomachum, ponit eam fluere per venam splenicam in jecur, unde per ductus biliarios in duodenum devehatur. En res neque probatu nec intellectu facilis. Qui fit enim ut lien, post internam struc-turam penitus deperditam, nam id quoque traditur, materiam istam nihilominus trans-mittere possit?

Auctores nuncuparunt similem in liene speciem putrefactionem ejus organi, et ali-  
quot

\* Diff. de Re Med. p. 154.

quot exempla ejusmodi e Boneti, Sennerti, aliorumque scriptis excerpta, in Lieutaud invenies \*. Sed, quamvis vomitus sanguinis nigraeve materiae ante mortem aliquoties apparuerit, cadaverum sectiones ita memorantur, ut, ex iis nil certi, quod ad nexum inter lienis morbum vomitumque sanguinis, colligere liceat.

Itaque mihi persuadetur, ut quomodo cunque status lienis morbidus oriatur, is nunquam secus pro causa melaenae fit habendus, ac quatenus plus sanguinis in ramos arteriae splenicae quae stomacho sanguinem suppeditant, propellit. Eodem modo viri jure celeb. Sauvagesius † et Morgagnius ‡ rem explicuere. Denique, lien admodum mollis in iis quibus melaena fuerit lethifera interdum repertus. Semper, etiam sanus, parum firmus videtur. Sit autem mollities supra sanam, annon  
hoc,

\* Hist. Anat. Tom. I.

† Nos. Meth. de Haematem. ex Splene.

‡ Ep. xxxvi. Art. 12.

hoc, aequa ac alia viscera, caufis atoniam sanguinisque congestionem afferentibus, objectum? Hae causae lienem mollire certe sufficiunt, quas quoque opportunitatem ad melaenam praesertim formare, postea monstrabitur.

Dein, sunt qui credunt materiam nigram esse bilem, diu in vesica fellea stagnando, fluidisque partibus absorptis, nigram factam.

V. Swieten hanc sententiam quoque disfectionem a Simpson, illo humorali pathologiae adversario praepotente, cuius verba sequuntur, enarrando, defendit: ‘ In viri,  
 “ \* \* \* \* \* \* \* longa tabe tandem  
 “ resoluti, vesica fellea multum inveni ma-  
 “ teriae nigrae, aut verius subnigrae, nec  
 “ undequaque sui similis, at germana bilis  
 “ flavedine prorsum fraudatae, tum adeo  
 “ spissæ, ut premente digito vix posset e  
 “ vesica pelli in ductum cysticum; tametsi  
 “ is adeo patebat, ut stilum majuscum  
 “ non aegre caperet \*.’

Verisimile

\* Diff. de Re Med. p. 155.

Verisimile videtur Morgagnio bilem ita spissam aliquando ejici. Ita prorsus opinatur celeb. Percival, a quo compluria exempla ad opinionem confirmandam allata \*.

Tantorum auctorum pace, cur aliter credam nunc dicere liceat.

Sectio jam memorata tantum probat, quod et aliae priores abunde probaverant, bilem valde fuscum fieri posse. M'Lurg equidem monstravit, bilem flavam in nigram evaporatione converti; sed spissitudo quam nanciscatur oportet, exitum e vesica magnopere, vel ex toto, prohibebit.

In uno altero de exemplorum, a Percival allatorum, copia sat magna materiae nigrae, tenacis, ac foetidissimae ejecta: Bilis autem, praesertim adeo spissa, non ante multum temporis elapsum ita putreficeret, eamque interea intestina, stimulo nempe ex majore spissitudine admodum adacto, ejicere properarent.

*2do,* Plurimum fluidorum in ventriculo ac intestinis, tali stimulo adhibito, secernuntur

\* Eff. Med. and Exper. vol. 2.

tur et effundatur neceſſe; quocirca bilis, quantumvis antea tenax, adeo dilueretur, ut color naturalis ei rurſum rediret.

*3to*, Amarities antehac neceſſario nacta tanta eſſet, quanta bilem procul dubio de tegeſeret; quod tamen non fit.

*4to*, Denique, ſi quod ejicitur nil aliud ac bilis fit, unde venit magna iſtius copia quam Percival ipſi vidiffe aliquoties contigit? Quinetiam, diurnitas qua opus eſt bili ſic mutandae, huc iterum referenda.

E contra, in duobus prioribus hujus medici insignis exemplis, aegroti haemorrhagiis internis fuisse maxime opportuni videntur. Nec vero abſimile, ſymptomata iſtius materiae evacuationem praecellifffe dicta, a ſanguine acrido vel putrido in primis viis pependiffe. Huic nil adverſantur nulli grumi viſi.

Signa febrilia infantium piceis dejectiōnibus levata idem commemoravit; aſt exempla hujusmodi auctoris ſententiam ne quaquam probant. Ineunte enim aetate, bilis dilutissima, unde igitur, talem ſpiffitu-

dinem

dinem adipiscatur, qualis rarissime etiam in adultis observatur, conjicere nequeo.

Si ad effectus dejectionum picearum, in exemplis jam allatis, ut et in aliis tribus asthmatis acuti animos advertamus, haemorrhagiam fuisse causam verisimillimum videbitur.

Haec argumenta, me judice, non modo probare valent bilem non fuisse in exemplis supra positis ejectam, sed nunquam posse nigram ejici.

De materia nigra in febris *bilioſis, putridis* male nominatis, aliquando ejecta, idem haud cunctanter affirmo; quam opinionem, petechiae et haemorrhagiae, ejus evacuationis in febre flava Indiae Occidentalis comites, haud mediocriter firmant \*.

Post tam multa jam dicta, si cui res adhuc dubia videatur, ad experimenta clinica ill. Home adeat.

Ut rem igitur ad finem demum perducam, causa proxima melaenae est, sanguis in

\* Diff. Inaug. Sam. Curtin.

in vasis ventriculi vel intestinorum congestus, qui distentione, ea vasa in actionem nimiam stimulat concitatque. In illorum extrema sanguis vi majore adactus, ea aperit anastomosi, vel rumpit. Systema totum interea, uti ex signis pyrexiae scire licet, consentit.

## C A U S Æ R E M O T Æ.

Huic morbo opportunitas in statu canalis alimentarii debili ac pleno constare videtur.

Mulieres ei sunt opportunissimae, partim ex majore corporis imbecillitate, partim ex debitae exercitationis defectu qui plethoram gignit. Mos vivendi sedentarius quoque, circuitum sanguinis per exteriora segniorem reddendo, majorem copiam per interiora transfire cogit. Huc porro addenda, frequens menstruorum, cui evacuationi

assuefactum, a graviditate aliisque causis oriunda, suppressio, quae plethoram insuper adauget. Attamen haec suppressio saepius fit causa excitans modo mox explicando.

Melancholici maxime omnium melaenae sunt objecti. Iis enim motus sanguinis perquam segnis; congestiones in abdominis visceribus saepissime occurruunt, more ignavo et desidioso plerumque degitur: Hinc, potissimum si, ut haud raro accidit, cibus nimius vel luxus oinnigenus delectet, debilitas intestinorum et plethora systematis simul aderunt.

Causae atoniam et congestiones stomacho intestinisque afferentes adeo sunt multae, adeoque patent, ut eas omnes enumerare et difficile, et supervacaneum foret.

Quae mutatio in systemate, annum circiter trigesimum quintum, venis plethoram afferat, ea sese primum in vena portarum haud dubie ostendet; ibi enim sanguis, et, ob externae pressuræ, et ob valvularum defectum lentius movebitur. Ecce igitur,  
aetate

aetate provectionibus, hujus haemorrhagiae una origo.

Melaenam juniores invadentem ad quendam topicum affectum plerumque referre possumus.

Plurima inveniuntur exempla ubi schirrus jecinoris lienisve, illius, redditum sanguinis per venas impediendo, hujus, plus aequo in arterias ventriculi impellendo, causa melaenae extiterit.

Quin et sanguis, a visceribus rediens, fitu ipso corporis, forsan aliquatenus prohibetur. Itaque melaena observata non modo in iis diu sedentibus, sed in his quoque quorum corpora prona diurne deflectuntur.

Ex causis supra traditis, seorsum vel simul operantibus, insolita sanguinis congestio efficitur in vasis canalis alimentarii, actio eorum multimodis augetur, et ipsa facile disrumpuntur.

Sint exempla impetus electrici, per regionem ventriculi parum caute transmissi \*, acria

\* Percival's Essays, vol. 2. p. 183.

acria medicamenta ingesta; cuncta quae sanguinis impetum, uti nimii caloris, immodicae exercitationis, pathematumque excitantium, stimulus, adaugent; subitae intersaliendum vel equitandum succussiones; magni totius corporis nifus, violensve partis cuiusdam, uti stomachi in vomendo, actio.

Addatur frigus superficiei externae adhibitum, quippe quod, sanguinem introrsum propellando, eosdem edat effectus.

Nec hic loci praetermittenda menstruorum suppressio, quae melaenam saepe subito affert. Professori nostro celeberrimo videtur, nullum tale aequilibrium inter arterias caeliacam et hypogastricam existere posse, quale reddat rationem hujus rei; eam igitur nervoso consensui stomachum inter acutum, cuius tam multa indicia extant, tribuit \*.

### P R O G-

\* Cullenii Praelect.

## P R O G N O S I S.

Inter autores convenisse videtur, melænam sexui foemineo quam masculo minus esse exitiosam. Nec hoc a vero alienum. Quoties enim a menstruis suppressis oriatur, omnibus notum; immo memoriae proditur, hanc, vel aliam haemorrhagiam, in vicem eorum per plures annos statutis periodis successisse, et procul a sanitate immi-  
nuenda, mulieribus fuisse salutiferam.

Prognosis aequa fausta de morbo, cum idiopathicus est, a cel. Home prolata fuit. Cum autem a jecinore aut liene induratis vel ampliatis oritur, curatio absoluta vix speranda, et pessima sunt praesagienda, cum prioribus morbis senioye confectos aggre-  
ditur.

Ægrotum in morbum facile relapsurum valde timendum. Doctor Chalmers affir-  
mat,

mat, fere omnes, quos sibi vidisse contigit,  
post intervalla, nunc diuturniora, nunc  
breviora, fuisse relapsos \*. Hoc forsan ex  
obstructionibus viscerum, istis in regioni-  
bus frequentibus, quod et Chalmers ipse  
notat, pendere potest.

Affirmationem Chalmerii Simpson quo-  
que roborat; ita enim inquit :—“ Ex qua-  
“ cunque corporis fatigatione, vel morbi  
“ asperioris, *qualis est renum calculus, accef-*  
“ *sione, vel in foeminis graviditate, vel*  
“ *etiam cibi potionisve actuosioris assump-*  
“ *tione, eadem semper recursabant signa,*  
“ Adeo ut quos semel pervasisset hoc mor-  
“ bi genus, deinceps miseri fierent et iner-  
“ tes; geniumque defraudantes suum, sic-  
“ ca et enecta vita contenti viverunt †.”

## PROPHY-

\* Diseases of S. Carolina, vol. 2.

† Diss. de Re Med. p. 153.

## PROPHYLAXIS.

Quum morbus hic periculosus aliquando gradatim accedat, est ubi ei, protinus scilicet adorturo, occurri potest.

Ubiunque igitur signa congestionis semet ostendant, etiam si ex libramine sanguinis circumeuntis, ob affectum topicum quodammodo turbato, oriri possunt; plethora systematis, quippe quae tales inaequalitates necessario sit auctura, omnimodis est tollenda \*. Cibi igitur quantitas imminuantur, vel minus nutriende utatur. Sanguinis detractio, cum ad plethoram procliviores reddat, omni tempore minime conveniet; si signa tamen talia sint, qualia impetum morbi imminere portendunt, sanguinis plus minusve, prout res exigat, detrahere, haud dubie licebit.

Si

\* Cullen's First Lines, Par. DCCXLV.

Si symptomata topicae congestionis a menstruis suppressis, schirrove cujusvis visceris, plane sint orta, ad remedia utriusque origini accommodata est decurrentum. Ut menstrua iterum fluant, quaedam utero ipsi adhibere oportebit; hujusmodi sunt semicupium tepidum, impetusque electrici per uteri regionem transmissi. Quae tamen, menstruis reducendis apta, totum systema stimulando, agunt, ea, haud secus ac alias morbi hujus causas remotas, sedulo est cavendum.

Vis mercurii stimulatrix, aliquatenus sed non prorsus, ejus usum ad schirrum, hoc in exemplo, solvendum, prohibet. Nos autem certiores facit il. Home, cremorem tartari admodum dilutum, ad drachmas quatuor vel sex quotidie adhibitum, remedium esse hic perquam efficax.

Plethora, seu generali, seu topica sic sublata, ne quid postea iisdem in vasis congeratur, tonicorum, quorum praecipua cortex Peruvianus et chalybeata sunt, usu curare decebit. Ad circuitum per totum corporis aequabilem

aequabilem servandum frequens, sed modica exercitatio adhibeatur.

## METHODUS MEDENDI.

Ubi haemorrhagia haec adsit, consilia medendi tria sunt: Nempe,

*1mo*, Actionem nimiam omnigenam compescere;

*2do*, Os vasis sanguinem profundentis occludere; et,

*3tio*, Certis symptomatibus occurrere vel ire obviam.

*Primo consiliorum* respondet venaefectio. Si haemorrhagia, ultro jam orta, signa congestione minime sustulerit, si spasmodum inflammatorium dolor manens, pulsusque durus adhuc aedesse testantur, nil dubium quin ea sit aptissima. Ubiunque etiam habitus sit plenus, vel aegrotans aetate floreat, ea usum omnium adstringentium praecedere debet.

Regimen antiphlogisticum sedulo adhibetur, nimiumque caloris summopere evitetur. Situs recumbens quoque, quippe facilem sanguini per venas a parte affecta redditum praebens, omnino necessarius.

Post sanguinem libere venae detractum, si nihilo fecius spasmus inflammatorius, vasa unde sanguis sponte fluat, infestet, ad epispaistica confugere fas erit.

Una cum epispaisticis, spasmo melius solvendo, sanguinique ab internis ad vasa exteriora avocando, tepida inferiorum foimenta proderunt.

Ut sanguis segnius moveretur, ligamenta extremis fuere injecta. Sed, utrum effectus five magnos, five diuturnos edant, adhuc dubium; compertum autem habemus, ea plurimum molestiae, immo doloris, secum afferre.

Refrigerantia, praesertim acida, ac nitrum, admodum laudantur \*. Illa equidem omnibus votis respondent; at hoc, quippe quod

\* Hoffman.

quod vomitum saepissime ciet, rarius exhiberi potest.

*Secundo consilio* accommodantur adstringentia. Eorum omnium acidum vitrioli longe praestantissimum, quia et sedat et adstringit. Caeteris adstringentibus, ob vim laxantem et antisepticam, quoque praefstat. Hujus copiam sat magnam, sine ullis terminibus efficiendis, praecipere possumus, si modo gummi Arabici solutioni immisceatur \*.

Si potentioribus adstringentibus opus sit, ex vegetabilibus, gummi Kino, et terra Japonica, optima sunt; e fossilibus autem alumen.

Aquam quam maxime frigidam summo cum commodo nonnulli praeceperunt.

Frigus externe adhibitum, quippe sanguinis impetum interiora versus majorem faciens, adhuc dubium. Si stomachus sit haemorrhagiae sedes, ipsi ori vasis rupti medicamenta adhiberi possunt; sin autem

ex

\* Clinical Experiments.

ex intestinis profluat sanguis, et si celerissime adstringentibus sit opus, tunc forsan frigus experiri fas erit.

Quod ad *tertium consilium*; signa a sanguine in primis viis putrido oriunda, occurrenda, vel, si id fieri nequit, auferenda sunt. Stimulus sanguinis putridi, nec non scybalorum, lento intestinorum motu formatorum, acres spasticas intestinorum contractiones, graviaque tormina, efficient.

Quantumcunque tamen sanguinis hujus evacuatio, nempe, ut haec signa gravia prohibeantur, expetenda est, eam certe emeticis nunquam moliri oportebit. Atonia enim stomachi effectus modicae admodum dosis incertos reddit; et ubi a Doctore Home periculum factum, nigrae dejectiones numero, pulsus autem celeritate, augebantur. Praeterea, nonne vomitio periculum rumpendi reliquis vasis minitatur? vomitus ideo nunquam ciendus. Laxantia lenia et antiseptica, qualia sunt ol. ricini, inf. tamarindorum, vel tremor tartari, omnia commoda fine periculis emeticorum praebent.

Scybala

Scybala ejicere spasmosque levare, enemata mitia quoque adjuvabunt.

Imbecillitati et ad syncopen proclivitati cavendae, modica cardiaca optime convenient.

Sanguinis fluxu his similibusque remediis represso, contra ejusdem recursum, juxta praecepta in prophylaxi tradita, cavere decebit.

F I N I S.

